



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

129 De profundis clamaui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

lum receptus, quo nulla malorum vis per-  
tingere potest, diuina gloria tua, ad om-  
nem aternitatem fruatur.

*Meditationis in Psalmum  
CXX. finis.*

ARGVMENTVM  
psalmi CXXIX.

Mens & conscientia peccatis terri-  
ta, inter ingentes angustias mortis DE-  
VM inuocat, ac veniam ab eo petit, argu-  
ens se iniquitatis, cuius illa grauitatem  
etsi agnoscit, tamen misericordia Dei, ac  
promissorum cœlestium spe se consola-  
tur ac sustentat,

MEDITATIO IN PSAL-  
mum CXXIX. iuxta  
Hebræos CXXX.

**T**Empus vite, mea ad senectam ver-  
gens, & imminentem finem toto  
sensu, omnibusque mēbris quotidie  
persentiens, me ad grauem recordationē  
quasi supremis cogitationibus anxium addu-  
cit

cit. Quæ enim vis in hoc ferè extremo tem-  
 pore atatis, subsequetem mox mortem a-  
 uertet? quomodo eius propinqua manibus  
 elabar? quid est q̄ aduersus illã me possit  
 tueri? O memoriã acerbã et horroris ple-  
 nã sed cuius grauitatem magnitudo mec-  
 rum peccatorum infinitis partibus adau-  
 get. Hac & sensus omnes meos perturbat,  
 & reum me diuino iudicio sistit, vt quasi  
 inferno appropinquare videar, maximis  
 angorũ cruciatibus plenus, cõscientia hũc  
 in modum semper interpellãte: Magnus la-  
 bor vita tua est, ppetuis arũnis tuã accele-  
 rantibus senectã, ac te quasi ad mortẽ du-  
 centibus. Hac certè diu aut longè abesse nõ  
 potest. Verũ inter longinqua spacia vita  
 an integrum te inuiolatumq̄, seruasti? ac  
 Deo tuo officium prestuisti? vt appropin-  
 quante morte, deiq̄ iudicio dignus fauore  
 ipsius ac clemẽtia esse possis? At hunc toties  
 tam grauitè læsisti, eoq̄ ab iucundo volũ-  
 tatis eius lumine in tenebras iniquitatum  
 ac malorũ es inductus. Ergo ego mortaliũ  
 miser-

miserrimus, omnia in aliud tempus reijciendo, & in prospero vitæ cursu vegeto quæ flore ætatis cõtumaci spiritu deo oblectas, nunquam illis me compedibus delictorum exolui: vt nunc ingentia curarum pondera sustineam, & ferè extra spem positus acerba mea sortis lugeã dolorem. Sed quò me animus abducit? semper seueritatem iustam dei, eiusquæ iudicij inuitabilem vim in conspectum adducens. Verùm ego quanquam timore plenus & lethali vulnere saucius, castigato meipso, ac reflexa ad veram rationem mente, religiosa cogitatione spem meam firmabo, et quanquã horrentibus tenebris immersus, attollam me atq; assurgam. Quanquam enim peccatorum perpetua in animo obiurgatrix conscientia me prorsus securum esse non sinat: tamen in his profundis angustijs ad dominum IESVM expandentem in cruce brachia sua, & cupientem omnia ad se trahere, quanquam corruptus et perditus conuertar. In hoc ego sperabo, & illã gra-  
tia

ria tua sedem adibo Deus, cum gemitu la-  
 chrymisque & comploratione ma-  
 iestati tue supplex aduolutus, vt mitiga-  
 tionem meis malis ac peccato veniam o-  
 rem. Ad te vota mea referam Deus, & in  
 hac atra nocte calamitatum ad misericor-  
 dia tue anime mea allucens sydus, vita  
 mea dirigam cursum. Languet animus  
 inter presentis vite mala, que illum hor-  
 rore incredibili inferorum ac mortis per-  
 urgent. Sed tu spes omnium finium terra  
 ac maris immensi Deus, attolle iacentem,  
 & quasi ad inferorum profundissima deie-  
 ctum dextera tua erectum confirma. In  
 quo vno anime mea refrigerium erit ac  
 salus. Deficiunt me omnia alia prasidia,  
 nec nisi in deprecatione culpa mea, tuaque  
 offense, vllum firmametum est vite ac re-  
 rum mearum. In tuum ergo conspectum  
 me supplex feram, & tota mente ad mise-  
 ricordiam tuam adnexus veniam orabo  
 ac salutem, quam nisi te donante nullam  
 consequi possum.

O

De

De profundis clamaui ad te  
Domine, domine exaudi vo-  
cem meam.

Fiant aures tuæ intenden-  
tes in vocem deprecatio-  
nis meæ.

**I**ngentem conditionis atque infelicitis sta-  
tus sui plagam humana natura agnos-  
cit, & ad eius recordationem inter acer-  
ba & formidolosa omnia perpetuò inge-  
miscens suspirat. Peccato enim originis  
sublato, remanet mala materies, & pec-  
cati sensus eius sçq; in animo morsus, vix vt  
ira tua diuina metum, inter ingentes a-  
cerbitates atq; angustias mortis sustine-  
re possit. Atq; hoc illud est monumentum,  
quod circumferimus peccati, in corpore  
& in animo acceptum, plenum horrore et  
angustijs, in quibus miserum me versan-  
tem, ac tota mente auxilium tuum domi-  
ne cœli & terræ orantem, exaudi. profero  
enim aduersum me scelera mea, meam-  
que

que confiteor iniustitiam. At tu illam  
 omnipotentem vim, qua omnia agnoscis,  
 ad assiduos meos eiulatus clamoremque  
 conuerte. Audi seruuli tui vocem, que-  
 rimoniaſq; tristes, quas ex intimis ani-  
 mi penetrabilibus profundo, ac me ceu in-  
 genti malorum barathro immerſum ac  
 conſtrictum libera. Quid enim eſt in me,  
 quod auertere illam plagam malorum, ac me  
 in tuto ſiſtere, atque illam in animo con-  
 tractam labem eluere poſſit? Nam

Si iniquitates obſeruaue-  
 ris Domine, Domine quis  
 ſuſtinebit?

**O**Mnis hominum vita obſeſſa ceu in-  
 numerabili exercitu delictorum eſt, *ſi comiſſa*  
*impures.*  
 omnes conſcientia rea accusante inte-  
 riore ſenſu, vt nemo iuſtitia ſua preſi-  
 dere, ſuamque cauſam ad tuum tri-  
 bunal adductus tueri poſſit. Quan-  
 ta enim offenſio nature ac deprauatio  
 eſt? qua proclinata ad omne delictum eſt,

O 2 vt

vt iustam supplicij vim ac pœnas effugeret non possit, si districto iustitia tua gladio vindictam intentes, ac iure in nos tuo utere. Sed tu Deus noster, aspice calamitatis nostra detrimenta, & spoliatos innocetia per te initio concessa, excipe sereno vultu, ac damnationis nostra materiã peccatũ atq; iniquitatem ita aufer, ne imputes, aut ad iudicium tuum referas. Decidemus enim omni spe, si inclementer exigas vindictã, nec ignoscentia apud te sit ac venia locus. Sed me oculos ad mentem attollentem in cœlũ aterna pietas tua consolatur ac fides.

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

**M**Inueras hominem paulominus ab angelis, gloria & honore coronaueras eum. Hac enim prestantia humana conditionis initio fuit, vt non multo inferior natura cœlestibus illis mentibus esset. Nã vt beatis spiritibus cœlum, domicilium eorum

rum natura dignum tribuisti, ita homi-  
 nicum corporatus esset, hortum diuinitus  
 constitum ad habitandum dedisti, affluen-  
 entem delicijs, quacungq; è terris procrea-  
 ri possent: Sic vt immortalis & perpetud  
 felicitatis sensu esset beatus. Atq; amplior  
 etiam benignitatis in eo ornando tua  
 magnitudo fuit, vt innocentia gloria, &  
 iustitia corona insigniretur. Hac ille ima-  
 ginem o summe omnium rerum Deus tu-  
 am representabat: at verò deinceps non  
 solum non paulò angelis, sed & brutis in-  
 ferior sua culpa est factus. Corrupta et con-  
 taminata delicto voluntas, corpus mor-  
 tale & infirmum, infesta homini  
 animantium vis, ærumna perpetua, terra  
 difficilis, & non nisi multo labore subacta  
 alimentum indigenti præbēs, insignia ac-  
 cepta eius cladis fuerunt. At summa eius  
 acerbitas in delicto & conscientia vulne-  
 re fuit. Hac altissima plaga ad animi pe-  
 netrans sedem, eum ad immundorum spi-  
 rituum societatem adduxit, vnde ei dam-

rationis supplicium ac poena iuste irrogata, qua immortalis & aeterna erat, nisi tu Deus segregatam abs te, eoque malis omnibus obnoxiam refertamque naturam, misericordia tua restituisset. Hoc pietatis ac clementiae diuinae tuae opus fuit, cui explicandae, nulla angelorum & hominum lingua, nulla creaturum in vniuerso rerum facultas unquam sufficitura est. Tantamne o rector noster ac pater, benignitatem fuisse tuam, ut non conditor tantum, sed & instaurator operis tui esses? Hanc misericordiae vim immensam, utinam recordentur omnes homines & agnoscant incola terrarum. O si hanc gratiam mihi pietas aeterna tua praestet Deus, ut haec menti mea cogitatio semper obuersetur. Ac praestas sane, ut in hoc mortali corpore, & statu aduersarum rerum vna me propitiationis tuae fiducia, fidesque aeterna sustentet. Haec me, etsi magna labe peccati injectum & agrum inuitat, ut lachrymis & oratione pro misericordia impetran

impetranda tua, semper inste, et qua mihi  
 pena iniquitas mea adfert, ea condonari  
 a clemētia tua supplex petā. Me quidē de-  
 lictorū meorū poena, et ira tua formidines  
 peruadūt, vt tota mēte iudiciū tuū exhor-  
 reā, cuius oculi lustrāt omnia, & cuius a-  
 nimaduersionē nihil effugere potest. At si  
 maiestate tuam lasi, ac si meis delictis des-  
 cendi ad infernū, firma tamen omnia mi-  
 hi in spe erunt, contēplatione clemētia tua  
 qua ab aeterno vsus, salutis humanae, et nū-  
 q̄ irrita fiducia in te vnū defixa, funda-  
 menta iecisti. O prosperū ac salutare sydus  
 exoriens menti, et nouā in hoc horrore no-  
 ctis affulgentē animā mea lucē. Ego dege-  
 ner filius exuberātibus diuitijs gratia tua  
 abūdans, abs te cœlesti patre animū ingra-  
 tē auerterā, meq̄ tutela tua abdicauerā,  
 et hereditate, in longinquas scelerum oras  
 abs te segregatus. In his exiliū mei, et cala-  
 mitatis nequiter electa est sedes, abdicata  
 p̄ delictū innocētia paradysō. Ergo orbū iā  
 me, et bonis tuis exutū, nuditas ac fames

O 4 inuasit

inuasit, vt iam ceu ad immundam porcorum sortem deiectus, foeda omnia sectarer & appeterem. Vnde auctus arumnarum & dolorum meorum cumulus, omnem animam meam sensum enecabat ac vitam. in hac arūna, spes propitiationis tuae me ad confessionem peccati, veniamq; abs te petendam induxit. Itaque bonorum celestium egens, plenus maculis ac sordibus vitiorum exurgo, iam mente supplex, meumq; peccatum agnoscens, quod in tuo conspectu aduersum me confitear. At tu pergentem ad te, è longinquo respicis gratia tuae vultu, & noxio non occurris tantum, sed veniam orantem amplecteris, & in pristinum fauoris tui statum reponis. Hac immensitas tuae clementiae omnibus impensa est, tum, cum tu IESV fili Dei, propitiationis aeternae sacrificium factus es, vt innocens tuus sanguis profusus, nocentium peccata deleteret. Ergo est apud te propitiationis Deus, quae ad salutis meae & reconciliationis sempiternae spem attollit. Hac aeterna

æterna cœlestium rerum fide confirmata,

Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino.

**H**ÆC enim vna leuatio malorum meorum inter summam acerbitatem fuit, vt spiritu tuo ductus, considerare arcana prouidentia tua, & in me versus dicerem: Quid te affligas, & obrui intestino dolore finis? An qui vim omnipotentem suam in omnia explicat Deus, per quæ sentiunt, & in quo sunt vniuersa, eius pactum cum homine inuitum, & verbo confirmatum cœlesti irritum atq; inane erit? Num is te adherentem ei destituet? & salutem quam expetis obtinere à sua voluntate nõ sinet? Sine certè, qui summus, æternus, omnipotens est, in illa infinita inexhausta q; vbertate misericordia, vt corpore atq; mente veram percipias salutem, eaquæ in perpetuum abundes. Sustine ergò anime, ac te ad certam spem immortalitatis

O S erige,

erige, qua te pro amore tuo donabit Deus, in quo spem & firmamentum salutis posuisti. Sperabit ergo anima mea in te domine, sustinebit in verbo tuo, quo & caeli firmati sunt, & in vniuerso omnia consistunt, nixa veritate summa ad perpetuam in te sperantium salutem. Nil mundi aut satanae violentia oberit mihi. Tu desiderata liberationis meae leticia & expectatio es, qua menti meae quietem et refrigerium praestat. Interea humilitatis & patientiae mihi statuam legem, ne vnquam defatiger, aut moram iniquiore animo feram. Sic fides mea ac constantia explorata rebus aduersis Dei amore digna erit.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

**Q**uemadmodum enim vigiles nocturni ut munus suum tueantur & stationem adsignatam seruant, et excubites agunt, nec quanquam somno grauati indormis-

indormiscunt, sed aurora exortum intētē expectant, vt optabili quiete & luce perfruantur. Ita ego & super custodiam meam stabo, nec vnquam defatigabor, donec desideratus gratia diuinā dies illucescat, ac me ceu matutina luce perfundat. O desideratam spem, quae inter mala vigilans aduentum Dei sollicita expectat. Hunc enim certō ad futurum scit, nec longē abesse fiducia in eum defixa statuit. Non ergō fragilitati succumbam, non ad vllum impatientia sensum labar, aut iniquam de DEO suscipiam cogitationem, sed benignitatem caelestem confirmata mente, nec vnquam frustrata spe expectabo. Expectabo beatam iustitia spem, ac prouidentiam summi Dei, & in illo firmiter harebo: illis cum momento omnia efficere possit, mei suscipiet curam. Educet me in lucem vi- Mich. 7.  
debo iustitiam eius. Audiet me Deus meus.

O 6 Quia

G. Multa.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

**H**AEC summa & aeterna spes omnium est, qui supplices ad Deum eiusque filium IESVM CHRISTVM confugiunt, arguentes se iniquitatis ac delicti, quos ille sanguinis sui pretio redemptos, ab interitu mortis ad beatam vitam traducet. Quamquam ergo noxius, & apud te Deus, in cuius conspectu nec caeli mundi sunt, reus sim, tamen benignitati tuae, apud quem misericordia & copiosa redemptio est confidam, ac certo statuam, maiorem vim ad seruandum habere clementiam tuam, quam ad perdendum peccata mea. Tu me languentem, & acerrimo morfu dolorum agrum, oleo misericordiae tuae inunges & sanabis. Ac iam ad certam spem salutis erigor, atque ingens lumen gratiae tuae

tu mihi aperiri sentio intus, vt euchar sp̄i  
 ritu ad superna, subiecta latitia animæ  
 meæ, quam nullus vnquam auferet dies:  
 Hoc ego syncero gaudio perfusus, sedatis cō  
 scientiæ stimulis, illum peccati sensum ac  
 cusantem me non exhorrebo, ad tuam Do  
 mine misericordiam conuersus, qui mihi  
 atq; omnibus peccato obrutis, sanguinem  
 tuum ac vitam condonasti. Abite ergo cu  
 ra, recedite sollicitudines, & tu malorum  
 instigator Satã faceffe hinc: leuatus enim  
 onere illo, quod modò in animo grauiissi  
 mum infidebat, inaudito beneficio Dei  
 sum, qui vitam poscenti, debitas pœnas re  
 misit, suaq; benignitati confidere iussum,  
 ad spem certam immortalitatis erexit.  
 Accipe me humilem corde & prostratum  
 antete Deus meus, nec preces meas atque  
 lachrymas repudia, quas in hac alta vita  
 caligine, gemens & ad te suspirans pro  
 fundo. Tu diffusum in mente mea ardo  
 rem auge spiritu tuo. Ita plenus gaudio  
 ac saluari luce vultus tui perfusus, redem

*ptus à terra ac redditus tibi Deo seruatori  
meo in perpetuum viuam.*

*Meditationis in Psalmum  
CXXIX. finis.*

ARGVMENTVM PSAL  
mi CXLIII.

Ea omni consilio agenda constitu-  
endaq; sunt, quibus Dei maximè nomen  
& gloria augeatur, cum ipsius potentia  
ac regni grata prædicatione, qui ater-  
næ salutis via omnibus credentibus, &  
electis aperta, eos tuetur, & fructu cœ-  
lestium bonorum pascit, vt in perpetu-  
um viuant.

MEDITATIO IN PSAL  
mum CXLIII. iuxta  
Hebræos CXLV.

*Summans*